



I.

VITA S. CONRADI EX GVELFIS EPISCOPI CONSTANTIENSIS ex MSto.

Premittitur Excerptum de Vita ejusdem S. Conradi ex Chronico Constantiensi à J. Pistorio edito.



Sanctus Conradus vigesimus quartus Episcopus Constantiensis. Hic ex Comitibus de Altdorf natus est, patre videlicet Henrico, avo Etichone, matre autem Beata, Comitissa de Hohenwart Ducatus Bavariae. Hi Ludovici filii Arnolphi tempore fuerunt. Requiescunt autem praedicti, pater, mater & tres fratres S. Conradi in Monasterio Weingarte, cujus & fundatores extiterunt. Fuit autem hic S. Conradus à Notingo Episcopo praedecessore suo, in puerilibus annis ad educandum susceptus, dumque adhuc apud Notingum esset, à Canonicis Ecclesiae Constantiensis in Praepositum ejusdem Ecclesiae receptus, post obitum autem praefati Notingi clero & populo Constantiensi acclamantibus in Episcopum Constantiensem extitit electus, anno Domini 934. Donavit autem idem Episcopus de suo patrimonio fratribus Ecclesiae Constantiensis ad usus communes subscriptas possessiones. Item apud *Curvalthenburg* jure patronatus, & decimas in *Ubersachsen* & 13. mansus feuda attinentia. Item Curiam in *Burg* & officium villicationis cum aliis pertinentiis in nemoribus &c. Item Curiam in fluvio cum quatuor mansibus, ibidem pristinam in ripa & *alpes* duas, dedit & *Ilatz* & *Malantz* & vineas adjacentes. Item apud Emptum Curiam cum tribus mansibus & tres mansus apud *Ininplatz*. Valuerunt autem haec bona annis singulis novem marcas. Construxit autem Episcopus ille Conradus Basilicas tres, scilicet S. Mauritii, S. Joannis & S. Pauli, quae tunc fuit extra muros Constantiae. Sanctus quoque ille Conradus tempore, quo Ecclesiae praesuit, pro Dominici sepulcri visitatione ter mare transfretavit. Praesedit autem annis 42. & vitam finivit anno Domini 974. Ottone secundo Imperatore regnante, sexto Calend. Decembris. Thesaurus autem sanctissimi corporis ejus, prout vivens disposuerat, apud Ecclesiam S. Mauritii extra - - juxta parietem reconditus fuit, ubi & Deus ipse gloriosus, in servitui exaltationem ad infirmos diversarum aegritudinum curationes effecit. Postea autem aliquo tempore lapsa Ulricus de Richenthal, Canonicus Constantiensis juxta sepulchrum ipsam Capellam construi & altare fundari disposuit, ad honorem Sancti praefati. Multa autem per praefatum Conradum tam in vita, quam in morte, ac etiam post mortem virtuosè ac miraculosè acta sunt, sed cum de his gestis ejus, quae pro lectionibus in Ecclesia leguntur, copiosè scriptum reperiatur, supersedeo: Unum tamen *frater Hermannus in Floribus temporum* refert, circa tempora Martini tertii Papae, ubi dicit, quod illius Papae tempore floruit Conradus Constantiensis, qui super lacum Bodamicum siccis pedibus ambulavit. Post mortem igitur ejus, Ulricus primus, Episcopus Constantiensis videns miracula plurima, quae altissimus ad honorem praefati Confessoris sui indies operabatur, dolens tantam lucernam sub modio latere, ad Papam Calixtum secundum literas suas dedit hoc sub tenore:

Domino venerabili Calixto Papae sanctissimo Udalricus Constantiensis Ecclesiae famulus, cum universo gregis dominici sibi commissi ovili, debita obedientiae vota cum orationis instantia, divinae clementiae respectus sub vestrae gubernaculo paternitatis multis consolantem bonis propensiori gratiarum actione magnificamus, cum de tranquillo rerum statu & nova sanctorum claritate, qua diversae illustrantur Ecclesiae, gaudeamus, Sicut enim splendor veri solis alias mundi plagas electorum suorum meritis, quasi totidem radiis penetravit, ita ad nostrum quoque vergens occidentem, per felicitatis memoriae *Conradi Constantiensis Episcopi* miraculo-

A

culo-

colorum insignia non impari luce, totam temporibus nostris Alemanniam perfudit, pro cuius gloria, *ut moris est, canonisanda*, cum Apostolica sedis presentiam crebris jamdudum interpellassem literis, hoc immutabilis sententia responsum accepi, *Vitam ejus* in concilio recitandam & comprobendam fore generali. Testes insuper idoneos signorum, quae per eum sunt seu facta sunt, ibidem adhibendos, ut tantis caelestium donorum beneficiis, reverentia fidelium assurgat universalis, ut per hoc invidia, quae nec mortuo parcat, obstruatur particularis; cum digito Dei malefici superentur Pharaonis. Quapropter operam dedi ex patris cedulis hujus viri dignissimam Deo conversationem, potius, quam miracula, quae nonnunquam reprobis cum sanctis communia sunt, *sequens opusculum* colligere, vestraque sublimitati examinandum dirigere, malens stylum simpliciozem verecundiae patere, quam civitatem supra montem ponendam, in valle torporis & oblivionis diutius latere. Adjeci tamen ex innumeris, quibus plures laetificantur ejus nationes, sub probabili testimonio, pauca duntaxat signa, ne sicut videntibus gaudium, ita audientibus nimietate sui generarent fastidium.

Itaque Beatus Conradus ad dicti Udalrici Episcopi, & univerforum Cleri & populi Ecclesiae civitatis Constantiensis petitionem per apostolicam sedem canonisatus fuit, cujus Canonisationis bulla est, ut sequitur:

Calixtus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Udalrico Episcopo, Clero & populo Constantiensi salutem & apostolicam benedictionem; Fratres vestri, quos ad Apostolicam sedem direxistis, multa nobis ac fratribus nostris, de illius sancti viri defuncti Conradi, vestri Episcopi, actibus retulerunt miracula, & quae per eum Dominus omnipotens fecerat, certificare scriptis & verborum attestationibus studuerunt. Nostris itaque fratribus Episcopis & Cardinalibus & aliis Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus ac religiosis, qui aderant, viris visum est, eundem Sanctum apud Deum honorabilem meritis nos apud homines, quantum nobis fas est, honorabilem memoriam facere deberemus, unde in generali, quod celebramus, concilio ejus venerationem fratribus omnibus nunciamus. Ad honorem igitur Dei atque ipsius S. Conradi reverentiam largiente Domino constituimus, ut ipsius inter sanctos recordatio futuris temporibus habeatur, & *miracula* per eum a Deo facta dicuntur, *si vera sunt*, scripturis & lectionibus memoriter deinceps teneantur. Vos ergo fratres & filii dilectissimi apparentium in terra vestra florum odore refecti, ita in posterum conversari atque ita pie vivere, cooperante Domino, satagatis, ut & ipsi aliis odorem virtutis reddere per sancti Spiritus gratiam valeatis. Omnipotens Dominus beatorum Apostolorum Petri & Pauli precibus & praedicti sancti viri orationibus sua nos miseratione custodiat, & ad vitam perducatur aeternam. Datum Lateranis V. Cal. Aprilis. Et juxta titulum plumbi fuit *Calixtus II.* qui fuit Burgundus, electus post mortem S. Conradi ultra CXLIV. annos fuit canonisatus. Dicti autem S. Conradi Episcopi tam vitae, quam miraculorum series in Constantiensis Ecclesiae Lectionario & alias in quam pluribus locis copiose describitur, illuc me refero,



[Faint bleed-through text from the reverse side of the page, including the word 'FA' at the bottom right.]